



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia XIX. Magdalena suum quem quærit Iesvm describit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Et procul, heu! vitam diripit ille meam.  
 Ille suburbanis iam fortè decerrat agellis,  
 Fortè terit Solymæ, fortè Sionis iter.  
 Quid iuuat hic omni si fors spatietur in agro,  
 Quæ loca cuncta vouent, si mihi cuncta negêt?  
 Tuque etiam, ah! Aurora meam rapis improba  
 lucem,  
 Quam matutino Sole spondit Amor.  
 Ergo meis (ô nox mihi quanta refurgit Eoo!)  
 Excidet æternum lux mea luminibus?  
 Aut mea si tardis maturas vota quadrigis,  
 O cur non Phaëthon fit tibi noster Amor?  
 Quàm rapidis stimulis laxas vrgeret habenas?  
 Quàm rapidis IESVM quæteret ille rotis?  
 O ego tunc! ô quæ suspiria mista querelis,  
 Amplexusque, crocosq; osculaq; & lacrymas!  
 Sed quid plura? rapit Zephyrus mea vota per  
 auras,  
 Et vaga cum Zephyro cor rapit aura meum.

## ELEGIA XIX.

MAGDALENA suum quem querit  
 IESVM describit.

**E**RRAT inops voti, per rura, per arua, per arces,  
 Oppida, & Isaciis compita secta viis,  
 Magdalis, ignotumque diu venatur IESVM;  
 Vndique venantem sed sua præda fugit.  
 Instat amans, vani spem pascit in omine voti:  
 Quam sibi mille viæ dant, sibi mille negant.  
 Ah! quoties Solymæ deserta pererrat arenæ,  
 Et quoties viridi fessa recumbit humo;



Metaturque vagis oculis iuga, flumina, campos,  
 Si qua sui I E S V forsitan umbra sedet!  
 Omnia spondebant I E S V M, I E S V M omnia celat,  
 Siue oriente die, siue cadente die.  
 Si quis, ut in populo, per amœna vireta viator  
 Obuius, aut solis obuia nympha locis;  
 Magdala quærit amans: Hoc tramite numquid  
 I E S V S,

Hac siluâ I E S V S errat, an errat agro?  
 Quod si fortè meum nescis, quem sector, I E S V M;  
 Teque Dei ignarum nescius error habet:  
 Ille meo tantas accendit pectore flammâs,  
 Ut tibi noster Amor luceat inde facem.  
 Te nox cæca tenet, si non hos conspicias ignes,  
 Nec micat hinc oculis viua lucerna tuis.  
 Amplius an quæris? quæ vox, quæ gratia vocis?  
 Quæ coma, quæ color? quæ sit oris honos?  
 Si nunc ille redux dias erupit in auras,  
 Deque triumphatâ morte refert spolia;  
 Millibus è multis pulcherrimus ille viroꝝ,  
 Orbis honos, Diuûm gloria, Solis amor.  
 Non eius nitido certet nix Bistonis ori,  
 Aut rosa purpureas vincat amœna genas.  
 Illius auratis cedit Aurora capillis,  
 Argentumque genis, coraliumque labris.  
 Frons illi tranquilla sedet, stat blanda seueris  
 Mæiestas oculis, vox sonat ista Deum:  
 Vel tenui radio quem si tua lumina carpant,  
 Iurabis Domino Numen inesse meo.  
 Te trahet ille graui vultu, seu temperatiram;  
 Seu latis oculis annuit, ille trahet.  
 Hæc I E S V facies, nitidique hæc gratia vultus,  
 Lux



Lux nimum lacrymis insidiosa meis.  
 Mille caput terebrant mordaci cuspide sentes,  
 Quinquifidumq; notant vulnera quina decus.  
 Sic licet informis liuor turparit, & horror;  
 Pulchrior hunc omni flore venustat Amor.  
 Ut quid adhuc lento me torre viator aduris?  
 Dic, precor, affectus quæ tenet ora meos?  
 An specus, an rupes, templumq;ue, vel ara Sionis,  
 An nemus, an campus, flumē, an hortus habet?  
 Quid tibi vis? miseram seras cur fallis in horas?  
 Ludis in ærumnas seria damna meas.  
 Et si fas fuerit, te tandem adiuro, tuamq;ue  
 CHRISTE crucem, vitam nunc mihi redde  
 tuam.  
 An benè vitali mea vita resurget Eoo,  
 Ut data lux aliis, nox mihi cæca foret?

## ELEGIA XX.

CHRISTVS specie hortulani ap-  
 parens se subducit.

NIMBOSIS oculus pernox hibernat in Austris,  
 Ania sollicito dum pede quæro Deum.  
 Quot rores pluuiâ marmor defudat in aurâ,  
 Tot lacrymas sicco marmore mœsta pluo.  
 Sed quid opus votis? cursu magis vsus & cæstro est.  
 Vitæ in curriculo lampada poscit Amor.  
 Ergo viam alterno pede metiar hasce per herbas,  
 Aura spei ab CHRISTO si qua superstes agat.  
 Haud procul ab tumulo lux ecqua suberras  
 ocellis,  
 Incerto radio promere visa diem?

siste